

siam. n. 3520 ad 1 et 2 die 30. Maii 1699.

In associatione cadaverum posse parochos pro eorum commoditate ingredi Ecclesias Regular. sine Cruce elevata, non tamen pro assistendo functionibus exequialibus. n. 3529 die 12. Sept. 1699.

Ad dubium: An parochi, dum pervenerint ad fores Ecclesiae Regular., teneantur deponere Crucem in janua ipsa vel in sacrario Ecclesiae? S. C. resp.: Ad Episcopum pro concordia. n. 3750 ad 2 die 18. Sept. 1706.

Proposita causa de associatione cadaverum inter parochos et Regulares civitatis Mantuae S. C. resp.: Quoad delationem Crucis in decisis sub die 30. Maii 1699 (ut supra); quo vero ad ingressum parochorum ita esse, ut neque liceat eisdem Ecclesiam processionaliter circumire neque functionibus exequialibus assistere nisi tamquam quilibet de populo et multo minus illas turbare cum aliquo cantu. n. 3540 die 21. Nov. 1699.

Patres Minores Convent. Montis novi, invitati ad interessendum funeribus tumulandorum in parochiali, non possunt ingredi in eandem Ecclesiam elata Cruce et ita eam retinere prope fere-trum usque ad finem Officii. n. 3722 ad 8 die 9. Maii 1705.

Ad dubium: An Archipresbytero Terrae Sideranis competat jus deferendi Crucem in associandis cadaveribus tam aliarum Ecclesiarum paroch. quam aliarum quarumcunque, in quibus cadavera tumulantur, privative quoad alios parochos, seu potius sit deferenda Crux propriae parochiae defuncti? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3822 ad 1 die 22. Martii 1710.

Non licet parochi Cathedr. Forolivii invitatus ad associationem cadaveris

sepeliendi in *Ecclesia paroch. defuncti* elevare Crucem. n. 3866 die 21. Apr. 1714.

In process. funerum de parochia s. Stephani, in quibus intervenit Capit. Colleg., incidendum est sub Cruce parochiae et praecedentia debetur parochi. n. 4073 ad 5 die 27. Apr. 1738.

Ad dubium: In funeribus deferendis ad Ecclesiam paroch. s. Petri, in quibus intervenit *invitatum ab haeredibus* Capit. Colleg., sub qua Cruce incidi debeat? S. C. resp.: Sub Cruce Ecclesiae s. Petri tumulantis. n. 4042 ad 7 die 21. Apr. 1736.

Parochos Bononiae teneri admittere sub eorum Cruce Consortiales aut Mansionarios illius Ecclesiae Metrop. et Collegiat. a defunctis aut ab illorum haeredibus vocatos ad funera ac Archiepiscopus procedat prout de jure tam contra Parochos renuentes illos admittere sub eorum Cruce, quam in casu, quo ausi fuerint evertere sive per se sive per alios sive mediate sive immediate Fidelium voluntates a vocatione Consortialium sive Mansionariorum in associatione ad funus. n. 4088 die 9. Maii 1739; n. 4109 ad 1 die 22. Apr. 1741.

Ad dubium: An et cui competat elevatio Crucis in associat. cadaveris? S. C. resp.: „Crucis elevationem competere ad Ecclesiam parochialem tumulantem, nempe si cadavera deferantur ad Ecclesiam Collegiatam s. Mariae Magdalenae (oppidi Ereti dioecesis Sabinen.), hujus Ecclesiae Crux est elevanda etiam si defunctus ad s. Hilarii paroeciam pertineret, et vicissim Crucis elevatio competit ad paroeciam s. Hilarii, si defunctus in hac Ecclesia sit tumulandus, quamvis de paroecia Collegiatae esset, quum sub una tantummodo Cruce Ecclesiae tumulantis in funeribus esse procedendum pluries decreverit S. R. Congreg., praesertim

in Melphitana 12. Jul. 1628, in Lucen. 15. Maii 1694, in Melevitana jurium parochial. et praeeminentiar. 27. Febr. 1723 et omissis aliis novissime in Alatrina 6. Maii 1826.“ n. 4673 ad 1 die 12. Nov. 1831.

Liceat hic sequentia scitu digna notare ex Bened. XIV. Instit. Eccles. 105. num. 24. 25. 26. 27. 53. 54, ubi simul occasione consuetud. Bononiensis non pauca in materia funeralium exponuntur et illustrantur, in haec quidem verba:

„Cum ab aedibus (loquitur de consuetudine Bononiensi) sive ab Ecclesia parochiali cadaver effertur, tot Crucis vexilla praefertur, quot accitae fuerunt Sodalitates, ut cadaver ipsum prosequantur. Ita omne Sodalitium erigit vexillum suum, et singuli Ordines Regularium Crucis signum quoque deferunt eo prorsus modo, qui in publicis supplicationibus praescribitur. Idem institutum servatur, etiamsi Capitulum hujus Metropolitanae accersitum fuerit. Singuli enim Ordines Crucem suam praefertur, at illa Capituli, quam sequuntur Canonici, locum propiorem cadaveri sibi sumit. Quod si Ecclesia, ubi tumulus eligitur, inter parochiales adnumeretur, tunc ipsius vexillum praefertur, non vero parochiae, ad quam defunctus pertinebat. Uterque parochus Crucem eandem sequitur parochiae, ubi cadaver sepulturae committendum est, ita tamen, ut Rector parochiae *a qua*, dexterum latus obtineat, donec per ditionem parochiae suae incedit vel etiam per alienas parochias, quae interponuntur, usque ad confinia parochiae *ad quam*, et statim ac eos terminos attigerit, locum suum Rectori parochiae, ad quam, concedit et ipse latus sinistrum occupat.“

„Si vero Ecclesia tumulando cadaveri proposita nullo parochiae titulo praedita sit, vexillo Crucis non utitur,

sed illud Ecclesiae parochialis, a qua, solum praefertur. Insuper, si Ecclesia non parochialis, ubi cadaver sepeliri debet, addictum sibi proprium Sacerdotem habeat, veluti Praefectum Regularis Conventus, ubi defunctus tumulum sibi constituit, aut Capellanum Sodalitii, in cujus sacris aedibus cadaver condendum est, tunc Sacerdotes ejusmodi proprium sibi locum desumunt, atque ita Praefectus Conventus incedit cum suis Regularibus, si ipsi ad supplicationem funebrem interveniant. Capellanus autem Sodalitium suum prosequitur, si illud accitum fuerit, ut funebrem pompam comitetur, et tum Rector parochiae *a qua* reliquis omnibus solus anteponitur.“

„Si hanc consuetudinem diligenter expendamus, nonnulla juri communi consentanea, alia vero prorsus aliena deprehenduntur. Ac primum juri cohaeret, quod Sodalitates vel Ordines Regularium, quae ad pompam funebrem vocantur, ad parochiam defuncti prius se conferant et inde ad ipsius domicilium sive ad eam Ecclesiam, ubi cadaver expositum fuerit. Porro id contingit, cum defunctus ita juserit vel ipsius haeredes ita decernunt. Equidem saepius constitutum ac sancitum fuit, haud opus esse, ut cadaver in Ecclesia Regularium aut alia quacumque sepeliendum in parochiali Ecclesia prius deponatur, nisi forte defunctus ipse sive haeredes id statuerint. Petitum fuit a S. Congregatione die 14. Martii anno 1722 in *Lucana* funerum: „An cadavera defunctorum sepelienda in Ecclesia Patrum Minor. de Observ. Terrae Petrae Sanctae, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem, et eorum ibidem debeat fieri expositio usque ad horam sepulturae?“ S. autem C. resp.: Negative. Eadem sententia die 16. Martii 1726 lib. 76. decret. p. 122., atque iterum

frustra ad Scriptorum auctoritatem confugiendum, dum regula, quam ponit Rituale, nulla indiget interpretatione. Innumera fere sunt decreta S. R. C., quae regulam confirmant, praesertim vero in *Tropien.* 20. Mart. 1631 et 19. Febr. 1656, *Theatina* 2. Aug. 1631, *Firmana* 24. Jul. 1668 et 20. Novbr. 1662, *Imolen.* 14. Maii 1644, *Senen.* 11. Febr. 1645, *Aesina* 31. Julii 1665, *Thelesina* 24. Novbr. 1696.

Reatina.

Sodalitium a s. Francisco Stigmatibus insignito nuncupatum, quod in cryptis Basilicae Cathedralis Reatinae erectum reperitur, ab immemorabili, quando ad defunctorum cadavera socianda vocatur, assolet a propria aedicula ad defuncti domum pergere et in via manere, quin, ut et communis fert praxis et per decreta pluries definitum est, ad parochialem Ecclesiam conveniat, ex eaque ad funus associandum cum parochio caeterisque ad funus convocatis discedat et ad defuncti domum pergat. In quam quidem consuetudinem etsi nunquam animadvertere destiterint parochi Reatini, illam de medio tollere per se impares tandem hanc S. R. C. adire constituerunt et rem omnem ingenue exponentes enixe efflagitarunt, ut declarare dignaretur: utrum, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, praefatum Sodalitium, quum ad defunctorum cadavera associanda cogatur, teneatur accedere ad parochialem Ecclesiam parochum excepturum, praesertim quum ab eodem Sodalitio feretrum deferatur?

Super expositis requisita quum fuerit informatio cum voto a Rmo Reatino Episcopo, auditis interesse habentibus, et deinceps per infrascriptum Secretarium facta fuerit distincta relatio in ordinario coetu S. R. C. ad Vaticanum habito superiori anno 1853

15. Kal. Oct., rescriptum fuit: „Ponatur in folio exquisito voto Magistri Caeremoniarum.“

Quum itaque in novo ejusdem S. C. R. coetu ad Vaticanum pariter hodierna die coadunato Emus et Rmus Dom. Card. Ludovicus Altieri Relator designatus proposuerit votum alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis panditum typisque csum, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi post diligens omnium examen per affirmativum responsum ad parochorum Collegii instantiam declarandum, definiendum constituerunt: Sodalitium S. Stigmatum civitatis Reatinae, non obstante contraria etiam immemorabili consuetudine, teneri, quum ad defunctorum cadavera socianda vocatur, ad Ecclesiam parochialem accedere nulloque modo permittendum, ut domum defuncti directe petat vel per vias expectet.“

Et ita rescribendum servandumque omnino in casu mandarunt. n. 5198 die 8. Apr. 1854.

Nullo modo permittendum est a funus comitantibus parochum expectari per vias vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine expectandi per vias vel ad domum defuncti.

S. R. C. 12. Febr. 1633 in *Thelesina*.

Ad dubium: An Patres Convent. s. Francisci Montis Aerei invitati accedentes ad funus convenire debeant in Ecclesia paroch. ejusdem loci, inde omnes unacum parochio processuri ad locum, ex quo defunctus est effertendus?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 16. Martii 1726.

IV. E loco depositionis cadaveris.

Ad dubium I.: An illatis cadaveribus private ab haeredibus ad aliquam

tertiam Ecclesiam per modum depositi Regulares convenire et congregari debent in dicta tertia Ecclesia aut in parochiali, ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda?

II.: An cadavera sepelienda in Ecclesiis Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem, et in ea permanere per aliquod tempus?

Ad I. S. Congreg. inhaerendo aliis decretis respondit: Regulares debere congregari in illa Ecclesia tertia, ubi cadaver fuit depositum, ut supra.

Ad II. S. C. resp.: Negative.

Die 13. Julii 1675 in *Senogall.*

Vd.: t. II. p. 821. *decr. n. 3091. 4592.*

V. Juxta consuetudinem.

Funus Comitantes in paroch. Ecclesia vel in alia juxta loci consuetudinem omnino convenire debent. S. R. C. 8. Febr. 1631.

Ad dubium: An PP. Ord. Praedicatorum Terrae Floriani debeant convenire in Ecclesia par., sive ... parochi aliique Ecclesiastici ex pretensa consuetudine debeant accedere ad Eccles. s. Thomae de Aq. eorundem Regularium?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, servetur consuetudo loci. n. 3522 ad 1 die 11. Julii 1699; n. 3690 ad 1 die 7. Junii 1704.

Ad dubium: An PP. Minor. Convent. Caselli ad associationem invitati teneantur accedere ad levandum Plebanum ab Ecclesia parochiali seu potius debeat Plebanus se conferre prius ad domum defuncti juxta immemorabili consuetudinem?

S. C. respondit: Servetur solitum. n. 4210 ad 3 die 19. Septbr. 1750. *Hoc decretum est revocatum per aliud* n. 4217 ad 3 die 26. Junii 1751.

Ad dubium 1.: An PP. Carmelitae Aquen. vocati ad associanda defunctorum cadavera prius convenire debeant ad Ecclesiam parochialem cum eorum Cruce et deinde se conferre ad domum defuncti? et quatenus negative;

2.: An ad eundem effectum sub qua Cruce et in quo loco Patres expectare debeant parochum et alios Exequiis intervenientes?

S. C. C. resp.: In casu, de quo agitur, posse convenire in Ecclesia viciniore domui defuncti et in tumulatione cadaveris sub unica Cruce Ecclesiae tumultantis.

Die 9. Jun. 1708 et 27. Apr. 1709 ad 12 et 13.

Regulares oppidi Massae non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis ad effectum associandi cadavera in eisdem sepelienda sed sufficere, quod illi expectent ante januam. S. R. C. die 22. Junii et 13. Julii 1675. S. C. Ep. et Reg. die 17. Aug. 1708.

Funus comitantes in parochiali Ecclesia vel in alia juxta loci consuetudinem omnino convenire debere.

S. R. C. 8. Febr. 1641 in *Tropien.*

Vd.: t. II. p. 821. *decr. n. 4592. Process. funebr. (via).*

d) Praecedentia.

Ci.: *Confraternit.; Praebendarii; Stola; Sepultura; Canonici (habitus in l.); Eleemosyna pro funeribus; Stola in funeribus; Parochus (praeced.); Processio funebr. (crux eccles. tumul. — Instit. Bened. XIV.); Processio (Clerus etc.).*

Praecedentiam semper per totam viam convenire Canonicis et Clericis Ecclesiae Cathedr., a domo defuncti usque ad Ecclesiam, in qua corpora defunctorum sepelienda erunt, sive ex jurisdictione Cathedralis ad Abbatialem deferantur. In Ecclesia vero, ubi corpus sepelitur, Officium facien-

die 6. Febr. anno 1734 in *Tolentina* funerum confirmata fuit. Insuper ex jure communi desumitur, quod Capellanus Sodalitii, in cujus Ecclesia tumulum sibi defunctus eligit, si ad pompam funebrem veniat, post Sodales suos locum teneat: *Bassius* de Sodalitiis quaest. 5. n. 9.

„Juri pariter valde accommodatum videtur, quod cadaver ab aedibus suis minime efferatur neque ab Ecclesia, ubi collocatum fuerit, nisi parochus intersit, ad cujus ditionem pertinet defunctus, nisi forte idem parochus accitus venire recusaverit, nec alios in locum suum Sacerdotes sufficere velle declaraverit. Decreta super hac re *Passarinus de statu hominum* t. 2. quaest. 187. art. 4. n. 153 et 154., *Donatus* *Rer. Regular.* t. 3. tract. 10. quaest. 12 et 13., *Lantusca* in *Theatro Regular.* ad vocabulum: *associatio cadaverum*, ac *Pignatellus* consult. 49. tom. 3. fuse commemorant, et ob eadem decreta scriptores unanimes idem docent: *Samuel* de *Sepulturis* tract. 1. contr. 5. conclus. 5., *Pirhing* ad tit. *Decretal.* de *Sepultur.* §. 1. n. 34. et seqq., *Monacell.* in *formular. legali practico* tom. 1. tit. 5. form. 7. n. 34. et seqq., *Ursaya* tom. 2. *suar. discept.* part. 2. *discept.* 30. n. 84. et seqq.

„Sed abhorret a jure communi tot Cruces deferri in pompa funebri, quot Sodalitates vel Ordines Regularium accersiri contigerit: siquidem Ecclesiae, ubi defunctus terrae mandatur, solum elevandum vexillum die 16. Martii anno 1726 S. Congregatio constituit, omissis aliis sententiis, quae eadem Congregatio haud dissimiles olim promulgavit. Siquidem in *Volaterrana* petitum fuit: „An Archipresbyter associando cadavera sepelienda in Ecclesia Patrum Conventualium teneatur incedere sub illorum Cruce, seu potius valeat propriam Crucem elevare? Responsum est: „Affirmative quoad

primam, et negative quoad secundam partem. Lib. 79. *Decretor.* p. 122.“

„Congruit alia quoque sententia, quam die 29. Januarii anno 1735 S. Congr. edidit, cum *Sabiensis causa* funerum proposita fuisset. Sed alienum magis a jure videtur, quod Sodalitia vel Ordines Regularium suas Cruces praeferant, cum Metropolitanæ Ecclesiae Capitulum ad funebrem pompam invitatur; nam ipsius solum vexillum tunc elevandum est, et omnes, qui ad exequias celebrandas acciti fuerunt, illud sequi debent, uti a S. Congregationibus Rom. toties decretum fuit: *Monacell.* in l. c. n. 38 et 39., *Ursaya* tom. 7. *suarum discept.* part. 1. *discept.* 6. num. 65. et seqq. et tom. 9. part. 1. *disc.* 36. n. 79. et seqq.“

„Cum ob antiquam consuetudinem in hac civitate ac dioecesi minime id observetur, sed tot vexilla Crucis ferantur, quot Sodalitates vel Ordines Regularium pompae funebri interfuerint, quemadmodum ab archiepiscopali curia Cardinalis Gabrielis Palaeoti primi hujus urbis Archiepiscopi deprehenditur illis verbis: „Expresse praecipimus, ut omnes et singuli statim horis simul convenire debeant sub suis quique Vexillis et Crucibus in locum, ubi defunctus erit, ut sepeliri possit;“ quod institutum quidem tenetur, etiamsi Capitulum Metropolitanæ Ecclesiae accesserit. *Hieronymus Pediera de funeribus associand.* Ideo vetustatis gratia nihil novi statuendum volumus et consuetudines a Decessoribus nostris jam inductas permittemus, ea tamen conditione, ut aliae quaecumque Sodalitates, Ordines Regularium et Capellani conductitii prius ad Metropolim conveniant, quoties ejus Capitulum funeribus associandis intervenerit et in eo loco pompa funebri incipiat usque ad domicilium defuncti sive ad Ecclesiam, ubi cadaver fuerit expositum . . .“

„Quae cum ita sint, quoties cadaver ab Urbe in Dioecesim vel a Dioecesi in Urbem transferri contigerit, nobis statuendum reservamus, an Rector Dioecesanus praelata Cruce in Urbem se conferre debeat et an Parochus Urbanus praelata Cruce a civitate proficisci. Quod si nemo pro re declaranda nos convenerit, decernimus, privatim a Dioecetano Parocho civitatem esse subeundam, qui deinde aedes defuncti sive templum petat, ubi cadaver ipsius depositum est, consuetum officium Urbanus Rector persolvat, atque, praelata Cruce, ambo induti superpelliceo stolaque cadaver associant. Idem praecipimus urbano Parocho, cum defunctus in Dioecesi ad suam Ecclesiam efferendus est; quippe indecorum est sepulchro cadaver, nisi vexillum Crucis praeferatur. Juri autem communi maxime consentaneum superius ostendimus, quod in funebri pompa Crux ejus Ecclesiae sola praecedat, ubi defunctus sepelitur. Accedit, quod veteri consuetudine institutoque hujus Urbis ac Dioecesis vexillum illius tantum Ecclesiae deferri solet, ubi cadaver tumulo committitur, si tamen inter parochias recenseatur, non vero Crux alterius parochiae, ubi aegrotus vitam exspiravit.“

„Parochus primum locum semper occupat, donec in sua ditione versetur: *Card. de Luca de Praeeminentia disc.* 16. num. 3 et 4. Quare urbanus Parochus dextero incedet latere, donec Parochi Dioecetani limites attingerit. Tunc enim ipsi primum locum concedet. Eodem pacto, cum Parochus urbanus cadaver efferre debet ex Dioecesi, tum Rector Dioecesanus in sua Parochia dexterum latus occupabit, donec venerit ad Ecclesiam, ubi defunctus sepulturae mandatur. Aliquod sane discrimen intercedere cognoscimus in his officiis, quae modo praescripsimus; sed ita decernendum

putamus et aliquid urbanis Parochis prae Dioecesanis esse tribuendum.“

Sic Bened. XIV. loc. et num. citatis.

III. In transitu per alienam parochiam.

Cf.: *Crux* (defer. per alt. paroch.); *Sepultura*; *Process. funebr.* (via).

Curatus, per cujus Parochiam alter Curatus cadaver sui Parochiani transfert, non potest erigere propriam Crucem et cadaver aspergere in signum jurisdictionis. n. 1011 die 19. Decbr. 1634.

Parochus s. Sylvestri Sutri potest sine licentia et consensu Parochi Cathedral. transire cum Cruce per alienam parochiam, associando cadaver tumulandum in Ecclesia Regul. extra propriam parochiam. n. 3094 die 15. Sept. 1685.

c) Exitus

I. A Cathedrali.

Vd.: *Defunctus*; *Processio funebr.* (crux et p. 816).

Monachos cadavera associantes accedere debere ad Cathedrali et sub ejus Cruce procedere. n. 2708 ad 2 die 4. Aug. 1674.

Regulares ad funus vocatos teneri ad Cathedrali accedere et inde ad domum defuncti... cum Capitulo procedere. n. 1783 die 19. Febr. 1656; n. 2072 die 11. Sept. 1660; n. 3650 ad 2 die 28. Apr. 1703.

Confraternitates teneri ad Cathedrali accedere, quocumque Capitulum funeribus interfuturum sit. n. 2078 die 20. Nov. 1660.

Tam *Saeculares quam Regulares etiam exemptos* in Cathedrali, alias in parochialem, ad quam funus deferretur, convenire debere et non expectent per vias vel adeant domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante.

n. 1536 ad 1 die 21. Julii 1645;
n. 1688 die 22. Nov. 1653.

Regulares in funeribus, quando intervenit Capitulum, convenire debere in Cathedrali . . . etiamsi cadaver deferendum esset ad Ecclesiam Regularium; functiones autem super cadavere ad dictam Ecclesiam delato spectare ad Regulares. n. 2429 die 10. Dec. 1667; n. 2510 ad 2 die 9. Aug. 1670; n. 3407 ad 4 die 22. Decbr. 1696; 28. Apr. 1703.

Quando Cathedralis capitulariter intervenit funeribus, ab ipsa incipiendam esse processionem in *omnibus casibus*. n. 2525 die 24. Jan. 1671; n. 3650 ad 1 die 28. Apr. 1703; n. 4270 ad 3 die 16. Julii 1757.

Semper et ubique in Cathedrali conveniendum, si ejusdem Capitulum intersit ad funus. n. 3292 ad 4 die 17. Sept. 1822.

Capitulum invitatum ac etiam parochum convenire debere in ipsa Cathedrali, etiam quod cadaver sit in parochiali. n. 2546 die 13. Jun. 1671; n. 4132 ad 3 die 15. Sept. 1742.

Si cadaver fuerit domi, tunc omnes ad Cathedrali accedere debere, inde ad domum defuncti funus associaturos usque ad Ecclesiam, in qua tumulandum est; expleto autem funere, Capitulum Cath. non esse associandum. n. 3091 die 28. Julii 1685.

Vd.: *Capitulum* (associatio).

Ad dubium: An nova conditio parochorum s. Mariae maj. et s. Petri eosdem liberet a servando usu, qui antea vigit, accedendi ad Cathedrali ad levandum chorum, invitatum ad funera suorum parochianorum?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem accedendi ad Cathedrali, dum *chorus* invitatur ad funus, non obstante nova Parochorum conditione. n. 4592 ad 2 die 17. Sept. 1822.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quum a regula, quae fere universaliter obtinet, recedendum sit in locis, ubi mos est conveniendi in aliam Ecclesiam, parochiali posthabita, dum defuncti corpus levandum est, jam patet morem hunc, ubi viget, non esse immutandum. Atqui ea Tridentini constans fuit consuetudo, ut invitato ad funus secundi ordinis Clero Cathedrali, in hanc fieret collecta, vel Parochus domicilii independens esset ac liber, vel potius amovibilis et a Cathedrali dependens, non est cur modo hujusmodi consuetudo sit intercepta sub inani praetextu, quod, nova facta plebium divisione, altera ex quatuor paroeciis, quae scilicet independens erat, suppressa, Parochis nova data sit institutio, qui propterea perpetui evaserunt et a veteri subjectione liberi. Nova siquidem conditio novum iisdem decus affert, sed non aequae ipsos eximit ab eo onere, quod non a conditione pendet, verum a consuetudine, quae conformis est regulae a Romano Rituali traditae ac pluribus confirmatae decretis. Ideo Sacra Congregatio sancivit in casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem.

Ad dubium: An, dum ad funus alterius Paroeciae Ecclesia Cathedrali seu *Chorus sine Capitulo Canonico* invitatur, hic ad ineundam processionem funeralem accedere debeat ad Ecclesiam illius Paroeciae, non obstante contraria consuetudine, vel saltem possit in via expectare Clerum ejusdem Paroeciae aut convenire ad domum defuncti, an possit abstinere a comitando funere?

S. C. resp.: In casu etc. quoad primam et tertiam partem jam provisum in antecedendis; quoad secundam: nullibi nulloque in casu licere expectare per viam vel ad domum

defuncti, ut pluries haec S. C. sancivit. n. 4592 ad 3 die 17. Septbr. 1822.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Dubium hoc tres partes habet. *Scite autem responsum fuit: ad primam et tertiam partem jam provisum in antecedenti*, quia semel ac decisum fuit: *in casu etc. servandam esse consuetudinem*, declaratum simul est, Chororum Cathedralis nec teneri accedere ad Ecclesiam parochialem defuncti, et cum in suo jure permaneat expectandi Parochum domicilii in eadem Cathedrali, nequit ab eo comitando abstinere, quia cessat renuentiae ratio. Secunda pars Dubii erat declaranda, quum certum exploratumque sit ac centies decisum, quod nunquam, nullo in casu et nullibi liceat expectare in via aut convenire ad domum defuncti. Praeter Decreta superius relata, alia etiam habentur, in quibus hoc est magis expressum; ita in *Fossanen.* 21. Julii 1645: *Tam Saeculares quam Regulares etiam exemptos ad funera mortuorum vocatos in Ecclesiam . . . ad quam funus defertur, convenire debere, et nullo modo permittendum, quod expectent per vias vel adeant domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili non obstante; et in Nicen.* 9. Aug. 1670: *Regulares vocatos ad associandum, nullo modo expectare debere per vias aut in domo defuncti etc.*

Ad dubium: Denique ubinam conveniendum est ad processionem funeralem, dum Canonicus Ecclesiae Cathedralis in aliena paroecia domicilium habens moritur, cujus cadaver juxta morem nostrum pro exequiis celebrandis ad Ecclesiam Cathedrali deferri debet?

S. C. resp.: „Omnes funus associantes in casu etc. accedere debere ad Cathedrali, etiamsi Capitulum non

intersit, sed solum ejusdem Parochus una cum altero domicilii.

Et ita censuit ac servari mandavit. n. 4592 ad 5 die 17. Septbr. 1822.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quum Tridenti mos sit, quod cadavera Canonico, etsi eorum domicilium sit sub aliena paroecia, deferantur pro exequiis persolvendis ad Cathedrali; hujus Parochus ille est, qui funus levare debet, et quum dignior ille sit, utpote qui Capitulum, in quo residet habitualis cura, praesentet, decet, ut funebri processio e Cathedrali egrediatur, proptereaque ad hanc omnes conveniant. Nam si ex consuetudine Parochus domicilii cum suo Clero ad Cathedrali accedere debet, ibique excipere Chorum, etiamsi defunctus ad aliam paroeciam pertineat et alibi sit tumulandus, ut declaratum est supra in secundo, multo magis idem ordo servandus erit, dum Canonicus defunctus effereendus est ad Cathedrali, quae attendenda qualitate personae ibi exponenda et tumulanda, potius ejus paroeciae censenda est, quam altera domicilii.

II. Ab Eccles. Colleg.

Ad dubium: An invitato Capitulo Colleg. omnes tam Saeculares quam Regulares necnon parochus defuncti intervenire debent in Ecclesiam Colleg., ut omnes sub unica Cruce Capituli incedant? S. C. resp.: Affirmative juxta alias decreta. n. 4877 ad 3 die 11. Apr. 1840.

III. Ab Eccles. paroch.

Omnes vocatos ad funus in Ecclesia parochiali vel in alia juxta loci consuetudinem convenire debere. n. 785 ad 1 die 9. Dec. 1628.

Vocatos ad funus in Ecclesia parochiali defuncti vel in alia convenire

debere. n. 790 die 20. Dec. 1628; n. 2072 die 11. Sept. 1660; n. 3406 ad 2 die 24. Nov. 1696.

Regulares, quatenus associationi non fuerint invitati, tenentur expectare et recipere cadavera in janua eorum Ecclesiae. n. 4316 ad 2 die 7. Maii 1763.

Absque exactiōe aliqua posse accedere Regulares non vocatos ad funeralia. n. 808 die 31. Martii 1629.

Clerum et alios vocatos ad funus in parochialem vel in aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem, convenire debere. n. 900 die 8. Martii 1631.

Regulares omnesque alios processionaliter vocatos ad funus convenire debere in parochialem Ecclesiam juxta loci consuetudinem et nullo modo per vias expectare permittendum. n. 935 die 2. Aug. 1631; n. 2190 die 20. Nov. 1662; item n. 2191 sub eodem dato; n. 2332 ad 2 die 31. Julii 1165; n. 2824 die 15. Junii 1677; n. 1201 die 4. Febr. 1640; n. 1372 die 14. Apr. 1642; n. 1611 ad 8 die 25. Septbr. 1649.

Regulares omnino convenire debere in parochialem Ecclesiam et nullo modo permittendum ire recto tramite ad domum defuncti vel expectare per vias. n. 970 ad 3 die 15. Dec. 1632.

Idem decretum n. 2176 die 3. Jun. 1662 cum appendice: „etiam si cadavera tumulanda deferuntur ad Regularium Ecclesias.“ n. 2390 die 15. Jan. 1667; n. 2460 die 12. Jan. 1669; n. 2510 ad 1 die 9. Aug. 1670; n. 2518 ad 1 die 29. Novbr. 1670; n. 2525 ad 1 die 24. Jan. 1671; n. 2547 die 13. Jun. 1671; n. 2574 ad 3 die 19. Decbr. 1671; n. 2706 die 4. Aug. 1674; n. 3179 ad 1 die 22. Jan. 1689.

Nullo modo licere expectare per vias vel ire ad domos defunctorum, sed convenire debere in Collegiatam, dummodo non adsit contraria consue-

tudo in loco conveniendi in aliam Ecclesiam, prout disponit Rituale Romanum. n. 1081 die 24. Julii 1638; n. 1593 die 21. Mart. 1648; n. 2353 die 13. Febr. 1666.

Regulares esse cogendos opportunis remediis vocatos ad funus convenire in parochialem. n. 1083 die 24. Julii 1638; n. 2273 ad 6 die 24. Maii 1664; n. 3448 die 14. Dec. 1697; n. 3462 ad 2 die 15. Martii 1698; n. 4217 ad 3 die 26. Junii 1751.

Omnes convenire debent in processionibus funeralibus in Ecclesiam parochialem et nullo modo permittendum, quod expectent per vias vel petant domum defuncti. n. 1527 die 11. Febr. 1645; n. 2830 die 10. Julii 1677.

Attenta maxima distantia Ecclesiae regularis tum a parochiali tum a domibus, a quibus cadavera defunctorum sumenda sunt, ne eorum Ecclesia debito chori servitio fraudetur, fratres non cogendos esse, ut accedant ad funera, verum si invitati interesse voluerint, eos teneri accedere ad Ecclesiam parochialem, ut inde cum parochio ad domum defuncti procedant. n. 2065 die 12. Junii 1660; n. 2432 die 10. Martii 1668.

Quicumque sive Saeculares sive Regulares Clerici, qui ad funus associandum vocati fuerint, ne recta via pergant ad domum defuncti ibique vel per vias expectent, etiamsi in eorum Ecclesia mortuus sit sepeliendus, sed in parochiali vel in alia commodiori de consensu parochi congregentur et inde cum parochio ad locum, unde cadaver asportandum erit. n. 2275 die 24. Maii 1664; n. 2771 die 21. Martii 1676; n. 3035 die 2. Octbr. 1683; n. 3223 ad 2 die 10. Jun. 1690; n. 3509 die 21. Mart. 1699; n. 3881 ad 1 die 14. Decbr. 1715.

Idem decretum n. 2912 ad 10 die 24. Febr. 1680 pro Confraternitatibus emanatum est, si in eorum Oratoriis mortuus sepeliendus esset. n. 3784 ad 4 die 28. Apr. 1708.

Quodsi cadaver fuerit depositum in aliqua Ecclesia, tunc omnes funus associantes, non excepto Capitulo Cath., ad eandem Ecclesiam convenire debere. n. 3091 die 28. Julii 1685.

Parendum esse decretis ipsius S. R. C. per Fratres Dominicanos Siderni, scilicet conveniendi in Ecclesia parochiali cum toto Clero, et inde unitim discedendi ad domum defuncti sive in civitate sive in illius suburbiis existentem, non obstante consuetudine per ipsos Fratres allegata expectandi in eorum Ecclesia et Conventu existente in suburbiis, quando parochus et Clerus ante ipsam Ecclesiam transire debet ad effectum accedendi ad domum ipsius defuncti. n. 2473 die 23. Martii 1669; n. 2652 ad 3 die 12. Aug. 1673; n. 3151 die 22. Nov. 1687. Idem decr. pro Patrib. Minor. Maceratae n. 3839 ad 3 die 22. Aug. 1711.

Etiam Cathedralis Canonici tenentur convenire ad parochialem, quando vocantur ad funus. n. 2222 ad 3 die 16. Junii 1663.

Capitulum Colleg. Pedanae funus associans debet convenire in Ecclesia ppr. Parochi defunctorum. n. 3206 ad 4 die 11. Martii 1690.

Ad dubium: An Patres Conventuales, occasione funerum, teneantur convenire in Ecclesia parochiali ad levandum parochum, sive cadaver sit tumulandum in ipsa parochiali sive in eorum propria Ecclesia Regulari sive sit positum in una regione ejusdem Terrae sive in alia, dummodo intra limites parochiae?

Et S. eadem R. C., tam in voce quam in scriptis partibus auditis, respondendum censuit: „Affirmative,

dummodo cadaver non reperiatur licite depositum in alia Ecclesia.“

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3722 ad 7 die 9. Maii 1705.

Parochi defuncti tenentur accedere Ecclesiam Archipresbyt. Terrae Sideranis ad effectum associandi cadavera. n. 3822 ad 2 die 22. Martii 1710.

Ad processionem funeralem regulariter conveniendum ad parochialem, nisi consuetudo sit conveniendi in aliam Ecclesiam, juxta praescriptum ritual. rom. et S. R. Congr. decreta. n. 4592 ad 1 die 17. Sept. 1822.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Etiam si omnes, qui ad funus vocantur, regulariter convenire debeant in Ecclesiam, cui praeest parochus domicilii vel defunctus afferendus tumulandusque sit in eadem, vel potius in altera Regularium aut Sodalitatum etc., nihilominus haec regula non est tanto cum rigore accipienda, ut ubique semper et indiscriminatim servanda sit; imo suas habet limitationes et vim habet diversa locorum consuetudo, si alicubi in more sit positum, collectam fieri in alia Ecclesia, ad quam etiam parochus domicilii cum suo Clero accedere debet. Quamobrem si aliqua hac super re excitetur quaestio, decidendi ratio non ab fere universali modo et praxi, verum a peculiari loci consuetudine petenda est. Quae quidem consuetudo non illis adnumeratur, quae a legis praescripto recedunt, quum ab ipsa lege praeservetur. Clara est Ritualis Rubrica tit.: *De ordine exequiarum* num. 1.: *Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus et alii, qui funeri interesse debent, et in parochialem vel in aliam Ecclesiam juxta loci consuetudinem ordine conveniant.* Videri possunt Commentaria ad hunc Ritualis locum tam *Barruffaldi* quam *Catalani*; sed